

DE
SEN E DEPONTANO 2
P R A E F A T V S

AD
MEMORIAM
VIRI
PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMIQVE
M. IO. ANDREAE LVTHERI,
CORRECTORIS DE GYMNASIO FREIB.
MERITISSIMI,
ITEMQVE
BENEFICII RICHTERIANI
RECOLENDAM
OBSERVANTER INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN.
RECTOR.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELI.

CXXXIX.



Senectus hominum ita est comparata, ut, Catone iudice, a) omnes qui-
dem illam adipisci optent, eandem vero adepti accusent. Quae verba
ex poemate graeco repetita videntur, in quo haec est sententia: b)
*γηρας ἐπαν μεν ἀπη, πας ἐυχετοι, ην δε ποτ' ἐλθη,
μεμφεται, ησι δει κρεστον ὁ φειδομενον.*

Senes enim, qui nomen ab hebraico *נָזֵן* (*nane*), odio habuit, traxisse
videtur, plerumque sibi taedio et aliis odio esse, experientia testatur. Un-
de *senium* per synecdochen ad omnis generis dolores atque incommoda
transfertur: quo sensu CICERO molestiam et squalorem Romanorum in-
dicaturus, tota, inquit, *civitas senio est consecuta*: c) HORATIVS autem amicum
adhortans, ut animi tranquillitati seruiat, his eum verbis compellat: d)

furge et inhumanæ senium depone Camenæ.

Nam quo propius nos homines aetate proiectos intuemur, eo plures
molestiae, quae illos circumflunt, oculis nostris obuersantur: quandoqui-
dem non tantum corporis, sed etiam animi infirmitatibus laborant, vario-
rum generibus morborum obnoxii et aliorum cura egentes: Qua mente
OVIDIVS senectutem cum hieme, anni totius parte molestissima, comparat,
canens: e)

*inde senilis hiems tremulo venit horrida gressu,
aut spoliata fuos, aut quos habet, alba capillos.*

Prolixiori autem verborum syrmate IVVENALIS huius aetatis incom-
moda prosequitur, dicens: f)

*o quam continuus et quamvis longa senectus
plena malis! minimus gelido iam in corpore sanguis
febre calet sola: circumflit agmine facto
morborum omne genus, quorum ne nomina quaeras.
Ille humero, hic lumbis, hic coxa est debilis: ambos
perdidit ille oculos, et luscis inuidet: huius
pallida labra cibum captiunt digitis alienis, etc.*

Praeterea senes omni in conuersatione sunt difficiles ac morosi, a iocis ve-
ro atque omnis generis oblectamentis abhorrent. Quam viuendi rationem
poëta ita describit: g)

crimen, amare iocos, crimen coniuicia, cantus:

o miseri! quorum gaudia crimen habent.

In primis autem senectute taedium ac molestia eo comparatur, quod ista pluri-
mos ad munera publice obeunda et ad operam reipublicæ praestandum
vel segnes vel ineptos reddit. Quod Xenophon hac similitudine venusté
illu-

a) Cic. de Sen. c. 2. b) Seobaenus de vituper. senect. 115. c) Orat. pro Mil.
c. 8. d) Lib. I. Ep. XVIII, 45. e) Metam. XV, 28. f) Sat. X, 190.
feqq. g) Corn. Gall. El. I.

illustrat: h) ἔδεις ὁδεν ὑπο γηρας ονόματα γενομένην μελιττεαν, h. e. nemo unquam videt fucum senescentem fieri apem. Et inde proverbum originem traxisse videtur; *beneficia in senem conferenda non esse*: ad quod ARISTOTELES prouocat, ita disputans: i) οὐτις συμβολευει, μη ποιεσθαι θιλον γεροντα. τετω μαρτυρει η παρομιω μητις εν ἐρδαιν γεροντα, h e quicunque tibi suadet, ne amicitiam cum sene ineas, ille pro testimonio habet proverbum: *Seni ne benefacito.*

Et gentes quidem ab humanitate alienas suae naturae socios, aetate prouectos probris et contumis adficiere, imo e vita tollere, non dubitasse, annales rerum gestarum testantur. Nam Massagetae corpora senio consecutorum in frusta dissecabant, et illorum carnibus vescebantur. k) Derbices, Persiae populi, ad extremam aetatem perductos ad aram immolabant. l) Hyperborei senes post publicas epulas ex rupe abrupta in mare detruerant. m) Baetriani autem eos canibus obiciebant dilaniandos. n) Ad mare Caspium habitantes senescentes in loca deserta abductos fame ac siti enecabant. o) Et Cæorum legem de senibus e vita tollendis AELIANVS repetit, his verbis e gracco sermone fideliter translatis: p) qui senio confecti sunt, tanquam ad hospitale mensam se inuitantes, et velut ad solenne sacrificium accedentes cum coronis, cicutam bibunt, baud ignorantes, se ad curanda patriæ commoda inutiles esse, animo iam ob aetatem aliquantulum delirante. Talem nempe mortem Stoici εὐλογον ἔξεγωγην, h. e. laudabilem e vita discessum existimabant, vbi senectus cooperat mentem concutere, partem eius conuellere, corpus vero ministeriis inutile videbatur, vti SENECA disputat. q) Vnde etiam Cato censet, sapienti prius e vita excedendum, quam plura sunt aut fore videntur, quæ officia secundum naturam obeunda impediunt. r)

Romanos autem eundem morem, senes e medio tollendi, sequutos esse, rectius negatur, quam adfirmatur. Et illi quidem, qui hoc adfirmant, ad *Senes Deponentes* prouocant, quorum frequens fit mentio in libris, qui de ritibus Romanorum exponent. Alii enim huius nominis atque instituti originem eo ex tempore repetunt, quo Saturnus, Creta expulsus in Italiam con fugerat: et quia hic victimis humanis maxime delectabatur, s) iussu oraculi singulis annis duos senes ex ponte in Tiberim deiectos fuisse. Quam sententiam vulgari fama nitentem OVIVS his verbis exponit: t)

Fama veteris: tum, quam Saturnia terra vocata est,

Talia factidici dicta fuere Dei:

Falcifero libate seni duo corpora, gentes,

Mittite, quæ Tycis excipientur aquis.

AII_i

- h) Memorab. L. III. p. 787. i) Rhetor. L. 2. k) Herodot. L. I. l) ibid.
m) Clem. Alexandr. Strom. I. n) Polyd. Virgil. de inv. c. X. o) Bonfin. L.
I. Dec. I. p) Var. Hist. L. III. c. 37. q) Epitt. 58. 70. r) Cic. de Fin. L. 3.
s) Natal. Com. Mythol. L. I. p. 65. t) Fast. V. 625.

Alii PLVTARCHVM sequentes, statnunt, quod primi Italiae incolae Graecos, si quos ceperant, ex ponte in flumen deiecerint. v) Alii vero putant, Euandrum, Italiae regem, hominibus depontanis nomen fecisse, quam Argui Arcadibus perpetuo infensi fuissent, et propterea hos tali supplicio adfecissent, qui soam in potestatem veniebant. w) Et ille quidem pons, ex quo homines in flumen deturbabantur, a poëta *roboreus* appellatur, x) qui idem est cum sublieo, nomen a sublicis vel palis fortito, quibus innitebatur ita constructus, ut belli tempore tolli posset. Hic pons omnium primus ab Hercule in Tiberi factus narratur, quem, occiso Geryone, victor armata sua per Italiam ducturus, flumen illud obstatre videret. y) Sunt vero etiam, qui perhibent, initium, senes de ponte praecipitandi, eo tempore factum esse, quum vrbs Romana a Gallis capta esset. Quum enim incolae, qui restabant, inopia victus et fame vehementissime premerentur, consilium initium fuisse, homines sexaginta annis maiores in Tiberim detrudendi; z) eundem vero morem barbarum atque immanem usque ad illud tempus durasse, quo Hercules viuversum fere terrarum orbem peruagatus in Italiani peruenit, ibique non modo ab Euandro honorifice exceptus fuit, sed etiam sacra introduxit, a) Bacchus Latias fugauit, b) et inhumanum ritum, senes in flumen deiciendi, ita mutauit, ut pro veris hominibus duo simulacra ex stramine vel scirpis facta, et humanam formam referentia, quibus Argeorum nomen imponebatur, singulis annis idem fatum subirent. Ita OVIDIVS: c)

donec in haec venit Tirynthius arua, quotannis
tristia Leucadio sacra peracta modo.

illum stramineos in aquam missse Quirites,

Herculis exemplo corpora falsa iaci.

Quam dubia autem atque incerta haec omnia sint, ex eo intelligitur, quod idem OV DIVS, haec referens, addit; fama est, pars putat, etc. Alia igitur est ratio exquirenda, cur senes apud Romanos depontani fuerint cognominati?

Constat nimurum, Romanos in comitiis suffragia per pontes contulisse, quo nomine illae viae dicebantur, quibus in septum vel ouile, (i. e. locum, singulis tribibus destinatum,) procedebant, qui suffragium ferebant. Tales vero pontes in comitiis tributis ad numerum tribuum trigesita quinque fuisse, Romanarum antiquitatum scriptores testantur. d) Et hi pontes ex tabulatis gradibus solo erant levati atque ita constructi, ut per eos suffragium absque omni fraude et confusione ferretur. In cuius instituti me-

mo-

v) Quaest. Rom. nu. 32. w) Rosin. Antiquit. L. IV. c. 9. x) Fast. V. 622.

y) Märianii Topogr. Rom. L. V. c. 14. z) Alex. Donati de urbe Rom.

L. I. 25. a) Fast. I. 581. b) VI. 522. c) Fast. V. 629. d) Gru-

chius de Comit. L. I. c. 4.

moriā singularis, isque argenteus existat iūnus gentis Liciniae, e) in quo non tantum cancelli, sed etiam pontes conspicuntur, quos tribunus pl. C. Marius anno ab urbe condita DCXXXIII. angustiores fecit. Supra hos pontes stat suffragator, qui a diribitore tabellam accipit, suumque suffragium in cistam conicit. Quia vero maxima pars suffragantium ex senibus constabat, iuniores, iunidia permoti, semel atque iterum consociatis votis poscebant, vt illi, qui annum aetatis sexagesimum viuendo attigerant, a suffragiis ferendis excluderentur, quia publica lege ad illum gradum praeiecti a negotiis publicis liberi erant. f) Quo facto, se eorum in locum ex voto successuerosse, sperabant. Audiamus OVIDIVM, ita consentientem; g)

Pars putat, vt ferrent iūuenes suffragia soli,

Pontibus infirmos p̄aecipitasse senes.

Haec igitur vera est causa, cur senes apud Romanos deportantur fuerint appellati, quod HOTOMANNVS h) luculentis testimonii ex Ciceronis et Suetonii libris prolati copiose exponit. Si quis plura testimonia desiderat, ille VARRONEM audiat ita disputantem: i) Omnia honestum et religiosum est, quod veteres iustum atque aequum confuerunt, viris multo labore perfunctis et de republica p̄aeclarē meritis, nunc vero viribus attritis et frāctis, otium concedi. Cum quo PLATO consentit, k) iustum flatuens, vt nemo inter magistratus admittatur, annis quinquaginta minor, neque in eorum numero annis septuaginta maior toleretur.

Vt vero, Cicerone iudice, l) non omne iūnum, sic non omnis natura diuturnitate coacepsit. Videamus enim, et quotidiana experientia docemur, senes reperiri, qui prouinciae suae multa cum alacritate praefunt, et, quantum robur corporis diuturnitate marcescit, tantum animum ad sapienter agendum corroborari. Quod CICERO sentiens, se ipsum aetate iam prouectum in exemplum adducit. En eius verba: m) vti adolescentem, in quo est senile aliquid, sic senem, in quo est aliquid adolescentis, probo. Quod qui sequitur, corpore esse senas poterit, animo nunquam erit. Ita ego antiquitatis monumenta colligo, orationes conficio, et multum litteris vtor. Semper in his studiis laboribusque viuenti non intelligitur, quando obrepit, seneffus. Et ita sensim sine sensu actas mea senescit, nec subito frangitur, sed diuturnitate extinguitur.

Et tales senem fuisse Conrectorem Gymnasii Freibergensis meritissimum, M. IO. ANDR. LVTHERVM, illi omnes fatebuntur, quibus prius eum nosse, datum fuit. Cuius vitam ut paucis repetamus, non solum pietas

e) apud Vigilium de columna Anton. Pii cap. 2. f) Sigan, de antiqui. iure pop. Rom. T. I. c. 17. g) Fast. V. 633. h) ad Cie. Orat. pro Sext. Rof. c. 35. et ad Suer. in vita Int. Caes. c. 80. i) de vita patrum. L. 2.

k) de Leg. L. 6. l) de Senect. c. 18. m) ibid. c. II.

pietas atque officii ratio postulat, sed etiam posteritas exspectat, quae virtutes virorum, recte agendo bonam famam consequitorum admiratur, atque ad easdem imitatione exprimendas excitatur. Hic vero anno aerae christiana MDCLXXXVIII. die XXII. mensis Decembris, lucem vitalem Freibergae adpexit, patre vissi Iohanne, honesto cive et coriario, matre vero Christina, ad familiam Chernitianam genus suum referente. Qui parentes pii et religiosi filium fonte sacro initiatum non tantum summa cura et fide educarunt, sed etiam annos pueritiae egressum explorarunt, ad quod vitae genus capessendum idoneus futurus esset? Et cum Pastorem ad aedem diu Iacobi, Georgium Wolfium, in consilium abhiberent, hic suauor et auctor erat, ut publicam in scholam eum allegarent. Anno igitur MDCCXVII. die VIII. Martii a Rectore M. Tob. Liebio in classe VIII. discientium numero adscriptus est, et magistris Pfeilio, Franckio, Spahnio, Beyero et Liebio ducibus ita profecit, ut anno MDCCV. Collaboratoris munus illi demandaretur. Quo cum laude administrato, dignum eam praeceptores iudicabant, qui ad scholam superiorem se conferret. Itaque eam academiam petebat, quam olim Megalandri Lutheri nomen nobilitavit, et in qua tunc uiri celeberrimi, Loescherus yterque, Feulkingius, Wernsdorffius, Wichmannshausius, Roeschettus, Elswigius, Bergerus et Schurzfleischius summa cum laude docebant: et ab hoc, qui tum fasces academicos tenebat, anno MDCCX. d. 26 Mai, in citium academicorum numerum recipiebatur. Quantuero cura atque industria hoc loco studii seruinerit, ea docent, quae ex ore doctorum publicorum calamo excepti, iustis voluminibus comprehensa, et quorum repetita lectione, etiam relicta academia, mirifice delectabatur. Imprimis autem Wernsdorfio sua adsiduitate et audiendi cupiditate ita se probauerat, ut ab eo non solum saluberrinis consiliis iuaretur, sed etiam ad beneficia percipienda diligenter commendaretur. Et hoc imprimis aucto- re etiam permouebatur, vt anno MDCCXIII. d. 29. Apr. Brendelio brabenta, supremos in philosophia honores capesseret.

Postquam igitur septem annos Vitenbergae multo cum fructu consumserat, ibique omnis generis praesidia sibi comparauerat, quae idonea et necessaria videbantur ad prouinciam in republ. cum honore ambiendam, ipso anno iubilaeo MDCCXVII. in patriam intutabatur, ut publico specimine demonstraret, se eadem in schola, in qua olim didicerat, docere posse. Quo specimine feliciter edito, ab Amplissimo Senatu ad munus, pueros classis V. huius scholae instituendi, designabatur. Et quoniam se mutuo illius adiutorio indigere sentiebat, quae rem domesticam procuraret, Pastoris iam commemoratai Wolfii filiam, Annam Dorotheam, sexus sui decus, d. VII. Oct. eiusd. anni vxorem ducebat, ex qua filium, Io. Georgium, Medicinae Doctorem apud Freibergenses experientissimum, porro filiam Iohannam Ra- chelem,

chelem, quae superiori denum anno secundas nuptias cum Voglio,
civitatis Pirnensis Praetore meritissimo, celebrauit, et Io. Fridericum, in vrbe
Weidensi pharmacopolem, gennit. Haec vero coniux lectissima fato pree-
mature an. MDCCXXXIX. viuis erepta marito viduo maximum sui des-
iderium reliquebat. Interea ex hoc etiam aliquid solatii accedebat, quod
scholae Inspectores, fide et cura Lutheri, quam ad pubem scholaisticam bene
formandam hoc vsque adhibuerat, cognita, classi tertiae eundem preeficere
non dubitabant, denato autem Hassio, anno MDCCXXX. Correctoris par-
tes illi demandabant. Quo facto, alterum coniugium an. MDCCXXX.
d. 4 Oct. inibat, et quidem cum Sophia Elisabetha, filia Hungeri, Senatoris Frei-
bergen sis, et lignis flumine secundo aduehendis preefecti, viri, cuius pietas can-
dor atque adsiduitas nulla obliuione vel deterentur vel extinguentur. Et
haec vxor an. MDCCLVII. d. 18 Oct. naturae debito perfoluto, viduo ma-
rito ac patri reliquit Wilhelminam Catharinam, quae optimi parentis ren-
familiarem procurauit, Carolum Christianum, iuris vtriusque candidatum,
et Davidem Gotthelium, militum tormentariorum in exercitu Electoris
Sax. decurionem. Quod reliquum erat vitae, solitarius peregit, et vel in
pietatis exercitiis, vel in libris et litterarum studiis tam repetendis quam
amplificandis consumit, in primis autem officii, quod suffinebat, partes sum-
ma fide ac cura administravit. Et quidem tanto maiori alacritate labore
ferebat, quanto luculentiora erga se documenta singularis gratiae diuinae
identem obseruabat. Namque non solum viros permultos dignitatibus
publicis conspicuos videbat, qui se auspice tirocinia posuerant, sed etiam,
quam rarissimo exemplo quinquaginta annos hac in schola docendo compleuisse-
tum scholasticum an. MDCCLXVII. celebrabat, et plurimis congratulan-
tium votis publice ornabatur: ubi memini eum hanc felicitatem praedicare,
quam cum beato Waegero, civitatis Freibergensis ornamento, communem
habebat, et cuius memoria tanto plus apud eum valebat, quanto maiori
honne ore illius virtutes colebat. Tandem quum Lutherus noster humanae vitae
terminum non solum viuendo attigisset, sed excessisset, octuagenario maior
anni superioris mensisque Novembri die octauo placide expirabat. Si spa-
tium chartae sufficeret, adderem, quam strenuus purioris doctrinae
adsertor, quam ingenuus pietatis cultor, quam constanti animo extra omnem
fortunae aleam positus omnes humanos casus contenserit, quam comis at-
que humanus erga naturae socios, et quam frugalitatis, ordinis et temperan-
tiae studiosus fuerit; dicerem de morum grauitate, de pertinaci labore, de in-
tensissima animi contentione, qua prouinciae suae ita preeerat, vt nec quies-
nec remissio, nec difficultas aliqua, nec aequalium studia, nec lusus, nec con-
vicia ipsum suo ab officio reuocarent. Imo, qua olim laude SE NE CA
fuum preeceptorem commendabat, eadem Lutherum iure ornandum esse,

ex-

existimo. Ita vero ille: n) in docendo labores et taedia patienter tulit, hor-
tando bonam iuuenium inodorem erexit, et modo laudibus animum fecit, modo
admonitionibus desidiam discussit, ingenium vero latens et pigrum iniecla et-
iam manu extraxit. Sed quid opus est verbis, ubi res ipsa loquitur?
Paucis itaque multa dicam, si denati liberos, cognatos, adfines, collegas, amicos
et discipulos verbis HIERONYMI compellauero, familiam mortui Nepo-
tiani ita consolantis: ne dolete, quod cum amissitis, sed gaudete, quod talem
babuistis. o)

Nunc autem officium aliud est indicandum, quod certum beneficium scholae
nostrae concessum nobis imperat, et cuius fructus ad eos iuuenes redundat,
qui animum quidem ad excelen[t]a studia litterarum adpulerunt, praesidiis
autem necessariis, quibus vita academica indiget, destituti, aliena laboralitate
funt adiuuandi. Quo nomine legatum RICHTERIANVM in primis com-
mendari meretur, cuius auctor, immortali memoria dignus, adolescentibus
pauperculis ita prospexit, ut hoc viatico instru[ct]i cursum studiorum hac in
palaestra initum in schola superiori feliciter persequi possint. Atque uti re-
cordatio huic munificentiae religiose et sancte est seruanda; ita is, cui hoc
anno illud beneficium consensu honoratissimorum gymnasii inspectorum
est destinatum,

ERNEST. GVIL. SCHVMACHER,

Freiberg.

animum gratum oratione latina declarabit, qua diligentem meditationem
mortis maxime necessariam imo praestantissimam scientiam esse, ostendat,
carmine vero vernaculo scholae valedicet. Quem gratulando co-
mitabitur

Gotthelf Sigmund Richter,

Schellenberg.

versibus germanicis vanum metum mortis pro viribus repraesentans.

Vesta honorifica praesentia, PATRONI ac FAVTORES, quam nos
obsequiose expetimus, et obseruant exspectamus, tam docentes quam di-
scientes, ad suorem, quo Musas complectimini, et demerendum et conser-
vandum excitabit. P. P. Freibergae, d. XVIII. Febr.

A. R. S MDCCLXXI.

n) de Benef. L. VI, 17. o) Opp. T. I. f. 94.



Yb-627

(811148)

TA>OL

ULB Halle
001 508 164

3





B.I.G.

Black



DE
SENE DEPONTANO
PRAEFATVS
AD
MEMORIAM
VIRI
PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMI QVE
M. IO. ANDREAE LVTHERI,
CORRECTORIS DE GYMNASIO FREIB.
MERITISSIMI,
ITEM QVE
BENEFICII RICHTERIANI
RECOLENDAM
OBSERVANTER INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN.
RECTOR.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXXIX.

